

tione tanquam thema, necnon induere potest vestem argumenti. Sed tum propriè consideratur ut totum, de quo *libr. 2.*

Ejus canones in genere sunt duo:

*1 Infinita sunt, quæ distributionem effugiunt.*

Nam si omnia & singula distribui possent, omnis pars haberet partes, & fieret progressus in infinitum; qui absurdus. Itaque duntaxat id, quod habet rationem totius, potest distribui: sive illud sit totum per se, sive per accidens.

*2 Distributum omne habeat partes.*

Ratio hujus canonis petitur ex antegresso; quia scilicet omne distributum est totum in partes resolvable. Icircò veritas malè dividitur in theologiam & philosophicam, quasi aliquid verum possit esse philosophicè, quod falsum esse possit in Theologiâ, & contrà. Veritas enim non est totum, sed simplex & impartibile. Eodem nomine rejicitur illa quasi-distributio omnipotentia in formalem & participatam. Nam omnipotentia est simplicissimum quid, quod nullo modo in partes dividi potest.

Distributum est verbale, vel reale.

Distributum verbale est vox ambigua, quatenus in suas partes dispescitur.

Partes autem ejus sunt ipsæ significationes variæ.

Ejus canones duo sunt:

*1 Vox ambigua quinq; criteriis cognoscitur.*

Nam 1. vox est ambigua, cujus oppositum est ambiguum: ut, infidelitas dicitur multis modis. Ergò & fides. Inimicitia multis modis dicitur. Ergò & amicitia. 2. Vox, quæ tribuitur rebus diversorum prædicamentorum, est ambigua: ut nomen *cancer* est ambiguum; quoniam interdum significat substantiam, videlicet animal; interdum accidens, ut morbum. 3. Vox, quæ tribuitur rebus diverso respectu, est ambigua; ut, vox temporis & loci est ambigua. Nam tempus & locus dicuntur vel absolutè, vel relatè, ut in Physicis didicimus. 4. Vox, quæ nunc latè, nunc strictè sumitur, est ambigua: ut philosophiæ, mundi, fidei, electionis &c. voca-